

Cæsareanis induciis, nec Pontificiis rebus adversari constanter affirmaret. Eodem ferme tempore, eademque de causa cum per Oratorem Villierum Rex petiisset, ut Senatus Ferrarensi summam militiæ Præfecturam mandaret, exorari non potuit, inclinatum jam in hyemem anni tempus, ac cataphractorum conscribendorum equitum difficultatem causatus. Dum hæc agerentur, Helvetii Sedunensis Cardinalis auspiciis per Alpes iter in Italiam moliebantur; qua de re cum rumor increbuerit, Bergomi, & Brixiae Magistratus, ut aditus intercluderent, adnixi, in Sebino lacu lembos, ac rates ad oppositas ripas, ne facultas transeundi foret, sisti jusserant; Lautrechius Gallos equites cataphractos una cum aliquot ex Venetis levioribus Pandeomio Gailo duce ad Ollii pontem misit, ut fluminis trajectu Helvetios prohiberent. Verum conatus vano eventu cecidere; nam nocturno tempore per lacum vœti in Brixiensium fines pervenere, non absque suspicione, adjumenta illis ad trajiciendum exhibita a nostris fuisse, cum lembos, ratesque loco motas summo mane fuisse constaret. Helvetii cum primum oppositam attigere ripam, ab Hispanorum, aliorumque militum manu excepti in itinere quamplurima regionis accolis detimenta attulere. Sed inter hæc prætereundum non est, quod ad Ottolengum fatis amplum agri Brixensis oppidum contigit: id Cæsareani, ac Pontifici milites ita foede diripuerunt, ut in eo crudelitatis, avaritiae, aut impietatis nulla non exempla reliquerint; non ætati, non sexui parcitum; fortunæ direptæ; feminæ ludibrio, & libidini habitæ; captivi abducti, in cunctos sævitum, & quod omnem immunitatem, atque impietatem exsuperat, sacratissima vasa, quibus Christi Dei corpus asservatur, furto sublata, Eucharistia abjecta, quæ barbaris quoque horrorem incutere poterant. Helvetii quoque, licet iis Brixiae Magistratus jussu comineatus, & omnia necessaria abunde suppeditarentur, equis, atque aliis jumentis quamplurimis abactis, luctuosam agrestibus memoriam reliquere. His de rebus cum Cæsare Senatus vehementer conquestus est, quod induciarum tempore ejusmodi a suis militibus patrata forent, qualia ne bello quidem committere fas esset. Eodem cum Pontifice officii genere egit, quæ in religionem egerant milites gravius expressa, captivorum libertas,

*Helvetiorum  
per Brixien-  
ses trans-  
itus.*

atque,